

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aspirationes mentis et cordis - Cod. Ettenheim-Münster 82

Landsberg, Johannes Justus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 21mum

[urn:nbn:de:bsz:31-108793](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108793)

38
die: fiat lux, et fiet in anima mea
lux, qua cognoscam te, et illustratus
toto corde te diligam. O Deus effice,
obsecro, ut spiritus meus frigidus, ac
torpens totus incalescat. suscipe, et posui
de me totum, o dulce solatium anima
mea.

Caput 21^{um}

Aspirationes ad Deum ob
eius opulentiam.

1. Domine Deus dixisti: mecum sunt di- prov. 8.
vitiæ, et gloria, opes superba; melior est
enim fructus meus auro et lapide pretio-
so. In viis justitiæ ambulo, ut ditem dili-
genter, et thesauros eorum repleam. O
altitudo divitiarum Dei, quis eam comprehen-
dere potest? quis eam enarrare sufficit?
O divitiæ! o opes, quæ exsuperatis omnem
sensum, quis det mihi, ut dignè promem,
quod de vobis sentio. Domine Deus meus
secum sunt divitiæ, gloria et opes, nempe
secum sunt immensa, et infinita bona; cum Summa,
enim sic immensus et infinitus necesse est,
ut et ea, quæ sunt in te, sint sine numero
et mensura. Deus meus cur non iam accedo
ad te, cum in te sint recondita omnia, quæ

s. aug. expleri possunt vota mea? O dives omnium
bonarum dāpūm superna labilitatis opulen-
tissime largitor Deus cur te non semper qua-
ro? cur te non semper desidero? Deus Deus
meus gemitus meus à te non est absconditus:
sicut desiderat cervus ad fontes aquarum,
ita desiderat anima mea ad te Deus!

2. Melior est utiqz o amantissime Deus,
fructus tuus auro et lapide pretioso: fruc-
tus enim tuus merces tua est, et hac proptus
immensa, dicens te: merces tua ero magna
genef. nimis. Domine Deus, qui ipsemet es mer-
ces sanctorum tuorum, quosqz inestimabilibus
bonis et divitiis beare soles, sim totus tuus,
et tu totus meus. Possideam te, et possidebo
omnia; quidquid enim pretiosum, quidquid opu-
lentum, quidquid desiderabile ulla ratione ex-
cogitari potest, id omne in te super omnem
modum reperitur. O quantis igitur abundo di-
vitis, quantis affluo bonis, cum Deus meus,
qui michi magis est ego, quam ipse sim tan-
immensa bona possideat. Ah amo te, o dulcissi-
me, suavissime, amantissime, desideratissime,
amo te amore magno magisqz amare cupio.

Blot. in
saell.

3. In viis justitiae ambulas Domine Deus, ut
dites diligentes te, et thesauros eorum repleas.
Igitur o anima mea si veras cupis divitias

accede ad Deum, ambula cum eo in viis justitiae, id est, charitatis, justitia enim charitas est. Dilige itaque eum, in quo sunt omnes divitiae, gloria, et opes, et ipse tecum communi-
cabit de bonis suis, ac thesauros cordis tui replebit; dicit enim propheta: delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui; non unam, sed omnes proferas petitiones dabit, omnes implebit, vult enim ditare te, et thesauros tuos replere, imo plus vult ^{dare} quam possis petere, quam possis cogitare, quia et se ipsum, summum, immensum, infinitum bonum vult dare. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te:
beatus homo; qui diligit te; beatus homo, cuius anima adhaesit post te.

S. aug. l. de nat. et grat. c. 42.
 Sap. 7.

ps. 36.

ps. 83.

Caput 22^{um}

Aspirationes ad Deum tanquam Patrem.

1. Quantus sum ego vilis Terra vermiculus, ut ad Dominum immense Majestatis dicere audeam, Pater. O verbum dulce; o verbum consolationis; o verbum magni amoris, Pater: Pater, inquam, per creationem; nam ipse est pater tuus, qui fecit, et creavit te. Pater etiam per adoptionem, quia accepimus Spiritum

Deut. 32
 Rom. 8.